

At vero in præsentia materia substantia privilegii ad instar tantum generaliter concessi omnino pendet ab illo exemplari, seu ex termino ad quem fit relatio, et ideo non potest determinari per privatam arbitrium, sed potestatem concedentis requirit.

7. Dixi autem hoc esse intelligendum, quando privilegium ad instar tantum generaliter loquitur, non declarando species favorum vel gratiarum, quia si illæ exprimantur specificè cum relatione ad aliud, verbi gratia, dicendo, concedimus universitati Conimbriensis tale et tale privilegium, sicut Salmanticensis eis fruitur; in eo casu licet exemplar non subsistat, seu licet academia Salmanticensis talia privilegia non habeat, nihilominus privilegium illud ad instar erit validum, et habebit effectum specificum in eo declaratum, illa vero clausula *sicut, etc.*, nihil operabitur, sed valebunt talia privilegia prout de jure valere possunt, vel prout absolute sonant, vel prout solent similia intelligi ac servari. Quæ sententia sumitur ex capit. *Abbate*, de Verborum significationibus, ubi privilegium hac forma concessum: *Concedimus vobis hanc facultatem, vel hoc jus eligendi, etc., secundum antiqui temporis morem*, non conditionale, sed absolutum esse dicitur, ac proinde subsistere, licet de illo antiquo more non constet, quando de specie favoris et privilegii constat. Et hæc est ratio a priori hujus resolutionis, quia illa particula relativa *ad instar*, vel *sicut* aut alia æquivalens, non est conditionalis, sed exemplificativa (ut sic dicam) seu demonstrativa, ut jura civilia loquuntur: et ideo non subsistente exemplari valet privilegium, quia nec determinatio privilegii pendet ex exemplari, quia (ut supponitur) satis definita, et specifica est concessio, nec etiam voluntas concedentis pendet ex illo exemplo, quia non est conditionata, sed absoluta et dispositiva, solumque videtur additum illud exemplum ad majorem explicationem, vel ne nova videatur concessio. Atque ita sensit Glossa ult. in c. *Quoniam Abbas*, de Offic. deleg., quam Bart. sequitur in Extr. *Ad reprimendum*, verb. *Prout*, et in l. *Admonendi*, ff. de Jur., et in l. *Eum qui*, § *Julianus*, ff. de Constit. pecun., et aliis locis, quos cum aliis auctoribus refert et sequitur Fel. in d. c. *Quoniam Abbas*, n. 11; et Mandos., supra, q. 5; qui variis exemplis hoc confirmant et exornant, quæ ibi videri possunt. Addit vero Felin. cum Bald., supra, non solum valere tunc privilegium, verum etiam

quodammodo magis esse absolutum, quando exemplar non comparet, quam si inveniretur, quia si inveniat, debet secundum illud limitari ex vi illius relationis ad instar; si tamen non invenitur, tunc absolute accipietur, ac si non essent verba illa apposita. Quod non debet videri absurdum; nam etiam posset privilegium ad instar ampliari juxta exemplar, si inveniretur, et sine illo non poterit, et ita æqua est conditio ex utraque parte. Non defuerunt tamen auctores, sentientes in eo casu privilegium nihil operari, quos supra refert Mandosa; sed non video fundamentum urgens, et ideo illos omitto.

8. *An privilegium ad instar possit valere contra eum ad cujus instar concessum est.* — Præterea, quæri solet circa hoc privilegium *ad instar*, an possit valere contra eum ad cujus instar concessum est. Verumtamen generalis quæstio infra tractanda est, an privilegiatus gaudere possit suo privilegio contra pariter privilegiatum, ubi regulam illam, vel negantem, vel affirmantem explicabimus. Nunc ergo solum dicimus privilegiatum *ad instar* computandum esse tanquam æque privilegiatum cum suo exemplari, ad cujus instar privilegium accepit, quantum ad ea quæ ex simili privilegio illi competunt; quia, ut dixi, illa privilegia æqualia sunt, et tam exemplatum, quam exemplar, simpliciter ac per se conceditur. Poterit ergo posterior privilegiarius suo privilegio uti contra priorem in his, et eo modo quo privilegiatus gaudet privilegio contra pariter privilegiatum, non vero in aliis: quæ vero illa sint, inferius dicemus, tractando de effectibus privilegii.

9. *Aliud quæsitum circa idem.* — Tandem occurrit hoc loco interrogare an hoc privilegium *ad instar* sufficienter censeatur concedi per talem verborum formam: *Concedimus tibi dignitatem vel cathedram, aut rem similem, prout tuus prædecessor illam habuit.* Interdum enim, ut in facti contingentia in hac universitate vidimus, prædecessor habuit cathedram cum jure ordinario, adjuncto privilegio, et successori concessa fuit sub prædicta verborum forma; ideoque merito dubitatum fuit an illa verba contineant in eo casu privilegium *ad instar*, necne. Quibusdam placet pars negans, quia illa verba limitanda sunt ad ea quæ antecessori competebant jure ordinario, et non sunt extendenda ad ea quæ habebat ex privilegio personali, quod cum persona fuit extinctum. Ita sentit Barbos. in l. *Quia tale*, ff. Solut. matrim., n. 1, et citat Gloss. in l. *Hæres*

*in omne*, 37, ff. de Acquir. hæred.; et ibi Angel., Roman., et Jason in libro 1 Consilior., consil. 20. Et probat, quia hæres, licet repræsentet personam defuncti, et succedat in omnia jura ejus, nihilominus non succedit in personalibus privilegiis; nam hæc cum persona extinguuntur, ut ex superioribus constat: ergo similiter quando conceditur alicui cathedra, vel dignitas cum omnibus quæ prædecessor habebat, non intelliguntur concessa, quæ habebat ex personali privilegio, et extraordinario jure; atque ita verba illa non habent vim privilegii ad instar. Et ad hoc confirmandum multa adducit Barb. ex variis legibus, et doctrinis eorumdem interpretum, quas non directe, sed per æquiparationem inducit. Ex quibus tandem concludit, necessarium esse ut exprimatur in concessione, ut succedat quis in his quæ competebant prædecessori ex privilegio personali, et tunc ait ad successorem pertinere quæ antecessori ex privilegio competebant, non ex persona ejus, sed ex nova concessione. Et ad hoc allegat l. *Stipulatio ista*, § *Sed si quis*, ff. de Verb. obl., et l. *Repeti*, in princip., ff. Quibus modis ususfructus amittatur.

10. Verumtamen ex hac ultima assertionem, quæ veracissima est et clarissima, enervantur omnia quæ ad probationem prioris resolutionis afferuntur. Aliud enim est loqui de translatione omnium jurium, quæ vel naturali et ordinaria successione, vel per legatum, vel aliam donationem privatam fit, aliud vero est loqui de concessione facta a principe. Nam de priori modo translationis loquendo, manifestum est clausulam universalem non extendi ad privilegia personalia, et successionem jure ordinario, vel ex propria voluntate possidentis factam, non comprehendere privilegia personalia, quia nec est in potestate possidentis illa transferre, nec in illis potest esse propria successio, cum per mortem habentis extinguantur. Et ad hoc genus translationis, vel successionis spectant omnia quæ pro exemplis et similibus adducuntur. Tale enim est illud de successione hæredis in omnia jura defuncti. Item illud de dispensatione, ut unus succedat in omni jure alterius, quæ non intelligitur de his quæ habebat jure extraordinario. Quæ ideo vera sunt, quia dispositio loquens per verbum succedendi, eo ipso limitatur ad jura in quibus succedi potest, et similiter dispositio constituens jus ordinarium succedendi in aliquo munere intelligitur de tali munere, secundum omnia quæ jure ordinario illi competunt, qua ratione

Capitulum succedens Episcopo, sede vacante, non succedit in his quæ illi competunt ex delegatione, juxta c. *Verum*, de Foro competent., et tradit Panorm. in c. *Cum olim*, circa finem, de Majorit. et obed. At vero in casu quem tractamus, termini sunt longe diversi. Quia non agitur de successione, sed de nova concessione, non privata voluntate facta, sed principis, qui potuit tale privilegium concedere antecessori, et potest illud in successore continuare, si velit, in quo omnes convenimus, et solum inquirimus an per illa verba, *Concedimus tibi munus, vel cathedram, sicut antecessor tuus illam habebat*, censeatur concedi privilegium antecessoris, vel (quod perinde est) aliud ad instar illius. Et quoad hoc nihil plane videntur probare illa exempla, nec generalia principia in aliis terminis loquentia. Nec etiam ostensum est cur illa verba sint restringenda ad sola jura ordinaria talis muneris, et non comprehendant etiam illa quæ ex particulari privilegio antecessori data sunt, cum supponamus utraque pendere a voluntate ejusdem principis concedentis, et utraque possint commode sub illis verbis comprehendere, et alioqui regula generalis sit, beneficia principis late esse interpretanda.

11. *Oppugnatur regula Barbosa.* — Quapropter mihi non placet regula illa generalis et absoluta, quam Barbosa ponit, et in casu supra commemorato, contrarium in praxi censui, duplici adhibita consideratione, quam nunc etiam propono, et pro regula habendam censeo. Primo enim circa verba concessionis, per quæ non solum res, seu munus conceditur, sed expresse additur, *prout antecessor id habuit*, seu, *cum omnibus juribus quæ prædecessor habuit*, considerandum est an talis forma verborum sit ordinaria in omni provisione talis muneris, vel cathedræ, etc., quoties ex gratia principis donatur, ita ut semper in illa addatur æquiparatio ad antecessorem, quocumque modo munus illud habuerit, id est, sive cum privilegio, sive absque illo, vel potius illud additum, *prout, etc.*, sit extraordinarium et speciale. Nam in priori casu procedit prior sententia, tunc non censeari concedi per illa verba specialia privilegia, propter fundamenta dictæ sententiæ, addendo, tunc nullum esse verbum in rigore significans privilegii concessionem, cum per illa eadem verba significari soleat provisio rei cum jure suo ordinario, ut communiter esse solet in prædecessoribus. At vero quando forma concessionis specialis est et extraordinaria, magna præ-

sumptio est continere privilegium *ad instar*, et illud additum *prout*, etc., positum esse propter privilegium antecessoris, quod voluit princeps etiam successor concedere, non jure successione, sed gratia æquiparationis, quam ipse princeps facere voluit. Ratio est, quia tunc cessant omnes præsumptiones contrariæ sententiæ, cum illa non sit successio, nec ordinaria dispositio: et aliunde accrescit magna ratio credendi illa verba non fuisse addita superflue, et sine ullo effectu: nullum autem habent si ad privilegium prædecessoris non referantur; ergo non propter aliam causam posita sunt.

12. Augebitur autem maxime hæc conjectura, si addatur secunda de qualitate privilegii. Nam si non contineat præjudicium tertii, sed favorem principis, tunc maxime cavendum est ne verba privilegii inania reddantur. Quando enim privilegium fuerit odiosum, et aliis præjudicium afferens, vel bono communi, tunc major est licentia restringendi verba, etiamsi ex parte non habeant effectum propter aliquam conditionem subintellectam, et non impletam, ut, quod voluerit princeps concedere omnia jura ordinaria et extraordinaria quæ aliis non præjudicant. At vero quando privilegium est simpliciter favorabile, et potest habere justam causam et rationem, dici non potest illa verba esse addita sine ullo effectu, vel intentione principis, et ideo, sicut extraordinaria sunt, ita etiam aliquid ultra jus ordinarium concedunt, quod esse non potest, nisi æquiparatio in privilegio cum antecessore fiat; ergo hoc concedunt, et hoc est privilegium *ad instar*.

## CAPUT XVI.

## DE COMMUNICATIONE PRIVILEGIORUM, ET EORUM COLLATIONE CUM PRIVILEGIIS AD INSTAR.

1. Alia forma concedendi privilegium esse solet per communicationem privilegii alteri prius concessi, quæ est valde usitata, præsertim in privilegiis religionum, ut constat ex compendiis eorum, et ex his quæ late refert Emman. Roder., 4 tom., q. 55, per totam. Circa quam formam concessionis imprimis clarum est efficaciam ejus in hoc consistere, quod jus uni concessum per aliquod privilegium, alteri etiam conceditur per quamdam extensionem, vel certe per quamdam multiplicationem talis privilegii, ut nomine communicationis significari videtur. Ad intelligendum autem qualis et quanta sit hæc com-

municatio, verba indulti attente pensanda sunt, tum ex parte ejus cui communicatur, tum denique ex parte modi quo communicatur, et in his omnibus fere observandæ sunt generales regulæ de interpretatione, ampliatione, vel restrictione privilegiorum, quæ in superioribus tactæ sunt, et in sequentibus tradentur. Solet autem specialiter quæri an communicatio privilegiorum quæ religionibus aut religiosis concedi solent, intelligatur fieri de privilegiis concessis religionibus ipsis, vel de concessis etiam particularibus domibus, aut personis. Sed in hoc nihil certius dici potest, quam ponderanda esse verba communicationis. Regulare autem est, ut communicari intelligantur privilegia concessa intuitu religionis, seu totius congregationis, juxta declarationem Leonis X, quæ refertur in supplemento Minorum. Aliqua vero sunt specialia privilegia quæ concedunt communicationem in privilegiis, etiam specialium domorum, et hæc ipsa specialia privilegia per alias generales clausulas aliis communicantur, et ita poterunt cum proportionem eodem favore gaudere, ut latius exponit Emman. Roder., 4 tom., quæst. 55, artic. 18.

2. Sed explicare oportet an hæc concessio privilegii per communicationem eadem sit cum concessione privilegii *ad instar*, soloque nomine differant, vel si majorem habent differentiam, quæ illa sit. Aliqui enim hanc differentiam constituunt, quod, per privilegium *ad instar*, non idem, sed distinctum privilegium conceditur, licet simile: nam ipsa similitudo et relatio quam importat particula *ad instar*, hanc distinctionem requirit, ut constat etiam ex Dialectica. At vero per communicationem, non aliud, sed idem privilegium conceditur ei cui communicatur; nam communicatio privilegii non est ejus multiplicatio, sed extensio, et quasi applicatio ejusdem privilegii ad plura subjecta.

3. Hanc differentiam late tractat Mandos. dicto tract. de Privilegiis *ad instar*, quæst. 2, et illam non probat, ac merito; modus quo rem explicat, mihi non placet, quia identitatem privilegii ponit in utroque extremorum, et negat similitudinem inter privilegia, licet illam ponat inter privilegiata. Imprimis ergo ait, per communicationem idem privilegium communicari, quia vis verbi communicandi hoc requirit, et quia tenor concessionis per communicationem est hic, *Concedimus Minoribus, verbi gratia, communicationem privilegiorum quæ habent Prædicatores*, in qua forma

relativum *quæ*, refert substantiam, non accidentia. Item quia leges, quæ communicationem privilegiorum concedunt, plerumque per relativum identitatis illa concedunt, ut ibi late refert. Addit vero idem esse in privilegio *ad instar*, et hoc quidem tollere similitudinem privilegiorum inter se, quia idem non est simile sibi, nihilominus tamen res privilegiatas fieri similes inter se, quia subjecta eandem qualitatem habentia similia sunt. Unde concludit illam identitatem nihil obstare, quominus privilegium communicatum sit privilegium *ad instar*, quia illud relativum *ad instar* non dicit similitudinem inter privilegia, sed inter privilegiata.

4. Sed hoc non in jure est necessarium, nec per analogiam ad philosophiam sustineri potest. Interrogo enim quo sensu dicat, in communicatione privilegiorum, idem privilegium præexistens in uno communicari alteri; aut enim loquitur de identitate specifica, vel numerica. De numerica dici non potest, tum quia idem numero privilegium non potest simul esse in diversis subjectis, et æque primo in singulis; privilegium autem communicatum tam proprie et per se convenit ei cui communicatur, ac prius erat in altero, sicut dictum est de privilegio *ad instar*; tum etiam quia tale privilegium durat in eo cui communicatur, etiamsi in altero in quo prius erat, amittatur, ut statim dicemus; tum denique quia argumenta quæ pro hac identitate fiunt, ad summum probant specificam identitatem. Si autem de hac tantum sit sermo, cum illa identitate stat perfecta similitudo non solum inter privilegiatos, sed etiam inter privilegia ipsa, ut constat de quacumque identitate specifica inter qualitates, et ratione earum inter qualia, quatenus talia sunt. Ergo immerito dicit ille auctor, per communicationem et per privilegium *ad instar*, concedi eadem privilegia, non autem similia: nam quæ illo modo sunt eadem, etiam similia sunt; sicut ergo privilegium *ad instar* non excludit identitatem, ita non excludit similitudinem.

5. Particula *ad instar* semper refertur privilegia ipsa inter se, et non tantum personas privilegiatas.—Neque est verum particulam *ad instar* non semper referre privilegia inter se, sed tantum personas privilegiatas: nam potius privilegium *ad instar* dicitur tale propter habitudinem ad aliud privilegium, quod imitatur; ergo talia privilegia etiam sunt numero distincta, et unum est quasi exemplar alterius, et hoc est *ad instar* illius, ut ex supra

dictis patet. Nec potest intelligi, quomodo privilegium detur uni *ad instar* alterius rei, vel personæ, nisi illa sumatur formaliter ut affecta tali privilegio, ut, in l. *Omnia*, c. de Sacros. Eccl., cum hospitalibus conceduntur privilegia *ad instar* Ecclesiæ primariæ, sine dubio intelligitur supponi Ecclesiæ ut talibus privilegiis affecta, et ita non solum hospitale fieri simile Ecclesiæ, sed etiam privilegium hospitalis effici simile privilegio Ecclesiæ; imo non aliter subjectum fit simile alteri, nisi efficiendo in eo formam, quæ sit similis formæ alterius. Per hoc ergo nulla differentia inter hæc privilegia explicatur.

6. *Privilegium ad instar dicere similitudinem non perfectam, sed ad imitationem; communicationem autem privilegii dicere exactam, sentiunt aliqui.*—Posset vero ulterius addi privilegium *ad instar* dicere similitudinem, non tamen perfectam et exactam, sed per quamdam imitationem; communicationem autem privilegii dicere integram et totalem concessionem privilegii, et ideo dici potius identitatem, quam similitudinem, potestque hæc differentia confirmari ex quadam formula concedendi hanc communicationem, quam specialiter invenio in quadam Bulla Pii V, Societati nostræ concessa, cujus verba sunt: *Possint libere et licite uti, frui, potiri et gaudere* (scilicet, privilegiis aliarum religionum) *in omnibus, et per omnia, non solum ad illorum instar, sed pariformiter, et æque principaliter, absque ulla prorsus differentia, proinde ac si Societati, etc., nominatim, et specialiter, ac generaliter concessa fuissent.* Quæ verba supponunt privilegium *ad instar* non esse pariforme suo exemplari, nec esse tam amplum, sicut privilegium per communicationem concessum, nec ejusdem rationis cum illo. Et confirmatur, quia privilegium communicatum est verum privilegium; privilegium autem *ad instar*, comparatione alterius, est quasi fictum fictione juris. Unde Bald. ait civem *ad instar*, seu ex privilegio, non esse legitimum et verum civem, sed similitudinarium: *Omnis autem similitudo* (inquit) *est quoddam figmentum rei, et non proprietas ipsa;* citat l. *Sed si accepto*, ff. de Jure fisci.

7. *Oppugnatur prædictus modus dicendi.*—Verumtamen hic etiam modus dicendi non placet. Primo, quia dictum est privilegium *ad instar*, absolute concessum, extendi ad omnia ad quæ suum exemplar extenditur, atque adeo de se dicere imitationem perfectam, et non tantum adumbratam, vel fictam, cujus oppo-